



Universitätsbibliothek Paderborn

Antidota Apostolica contra nostri temporis hæreses

In quibus Loca illa explicantur, quæ Hæreticj hodie (maximè Caluinus & Beza) vel ad sua placita stabilienda, vel ad Catholicæ Ecclesiæ dogmata infirmanda ...

In Epistolam B. Pauli ad Romanos

Stapleton, Thomas

Antverpiae, 1595

5. Per quem accepimus gratiam & Apostolatum ad obediendum fidei in omnibus gentibus, &c.

urn:nbn:de:hbz:466:1-39447

ut ab hæreticis & nouis dogmatistis sibi caueant. Ita hæc vna epistola primarium fidei dogma de gratia Christi & prima peccatorum iustificatione pertractat, atque ad mores & pietatem copiosè informat.

Argumentum Capitis I.

COMMENDAT prædicationē Evangelicam tanquam ad salutem necessariam: quia iustitia Dei ex fide in ea reuelatur propter credentes, & ira Dei in ea manifestatur propter impios, maximè verò Gentium sapientes, quorum cæcitatem & vitæ turpitudinem describit.

Verf. 5. *Per quem accepimus gratiam & Apostolatam ad obediendum fidei in omnibus gentibus, &c.*

VALET hic locus contra hæreticos pro Ecclesiasticæ prædicationis auctoritate, cui obediendum sit in doctrina fidei capessenda. Ait enim Apostolus, *accepisse se à Deo gratiam & Apostolatam*, id est, Apostolicam docendi & prædicandi potestatem, *ad obediendum fidei, τῆς ὑπακοῆς πίστεως*, id est, ad obedientiam fidei ingenerandam *apud omnes gentes* quibus prædicaturus erat, vel ut omnes gentes ei prædicanti

Ecclesiasticæ prædicationi obediendum.

A 3 obedi-

obedirent. Docet igitur vocem Ecclesie predicantis & docentis huiusmodi à Deo datam esse, vt ei obedire, ex eaque obedientia, fidei veritatem ac doctrinam accipere omnes debeant. Hodie hæretici Ecclesie voci non aliter obediendum censent, nisi quatenus illa cum Scriptura consentiat, hoc est, quatenus ipsorum iudicio consentire videbitur. Alioqui enim, vtrum cum Scriptura consentiat Ecclesiastica prædicatio, vnde tandem constare poterit, nisi vel ipsi ea de re iudicium ferant (quod est seipso Ecclesie iudices constituere) vel ipsius Ecclesie iudicio ea in re acquiescant; & sic ad Ecclesie auctoritatem obedienter suscipiendam iterum relabantur, In alijs locis hac de re plura diximus; dicemus & postea.

8. *Quia fides vestra annuntiatur in vniuerso mundo.*

Roma-
norum
fides.

LAUDAT fidem Romanorum vt toto orbe celeberrimam: de qua suo tempore Cyprianus: *Ad Romanæ Ecclesie fidem Apostolico ore laudatam perfidia habere accessum non potest.* lib. 1. epist. 3. Vide D. Hieronymum in præfat. lib. 3. in epist. ad Galatas.

9. *Cui seruió in spiritu meo in Euangelio eius.*

Externa
pietatis
opera.

SERUITUR Deo in spiritu, & adoratur Deus in spiritu (vtitur enim Apostolus verbo *ἀσπύσω*) per externa pietatis opera, vt hic **Paulus**